



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Christophorus M. 25. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Subdola enim inter sarcinulas castissimi aureum craterem condit, & abeuntem de furto accusat. Damnatur, ducitur, & in crucem tollitur; sed non moritur innocentia. Dum enim mœsti parentes iter relegunt, dum ægrè & pedes trahunt & animas, senectutis scipione filio amisso, dum frui illos vel pendentis aspectu juvat, ecce ab infelici arbore filius: Quid lacrimis vivo parentas mater? vivo DEI MATRE & JACOBO succollantibus: i, Judici dic, ne damnare pergat, quem mors absoluit. Vix hæc ille ad matrem, cum mater hoc ad Judicem mensæ accumbentem. Hic; tam scilicet filius tuus vivit, quàm afflus hic cum gallinâ suâ gallus, qui lautus unctusque sepulchrum stomachum expectat. Jam carpere parabat, cum gallus & gallina in vitam se erigunt, innocentia victrici alis applaudunt, gallus etiam Pæana canit. Ergo damnat se ipsum Judex, & innocentem missum facit, volucrum verò proles posthuma etiam hodie plumas suas cum laudibus JACOBI in omnem orbem spargunt, nunquam omnes, licet tot quotidie vellitent, evellendas. Ex L. Marino l. 5. de reb. Hisp. c. ult.

Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terrâ quietus est & securius bonâ conscientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quin & ipsâ morte magis erigitur quàm deprimatur. S. Bern. l. de Confid.

S. CHRISTOPHORUS M. 25. Julii.

CHRISTOPHORUS sive corporis sive animi spectes robur, semper magnus, nomen hoc suum reportasse tunc creditur, cum CHRISTVM sub pueri vultu per aquas transportavit, non ma-

gni laboris maximum naulum. Certè CHRISTVM per Lyciam circumtulit, cùm, ut auctor S. Ambrosius est, hominum millia IV. supra XL. ferre CHRISTI jugum docuit. Virgam manui familiarem cùm ad concionem dicturus aliquando humi defixisset, confestim frondere vidit, & miraculo etiamnum pictores favent. Sed & ad tribunalia tulit CHRISTVM. Captus enim & in vincula coniectus, Decio imperante, immittas ad se geminas & perfrixtæ frontis mulierculas à Venere ad CHRISTVM perduxit, cui etiam sanguine suo mox litarunt. Ipse candentem ab igne galeam indutus & in ferreum, cui flammæ suberant, lectum abjectus dormire scilicet suaviter in his tormentis visus est. Inde jaculis militum stetit expositus, ingens meta, sed prorsus innoxia. Quid? quòd ajunt sagittam reversam domini sui oculo perniciem attulisse, & medicinam eidem CHRISTOPHORI sanguinem fuisse, qui tandem cervices gladio fortiter dedit, quod unum restare videbatur, ut humilem cæli portam tam magnus subire posset. *Ex Sur. & Lippel.*

Beata anima, qua thalamum suum diligenter ac decenter adornat, ut cum digno ac placito Christum regem honore suscipiat. O anima, considera, qua sit illa Majestas suscipienda, cogita quâ curâ te illi preparare locum oporteat. Guericus serm. 3. de Purif.

S. GLODESINDIS V. 25. Iulii.

FRustra estis DEI rivales homines. Nemo Christo Sponsam suam eripiet, quando contra hæc pugnat, & propugnat ille pugnantem. id quod GLODESINDIS virgo jam olim fecit manifestum. Natam in principe familiâ domum ducebat